

Erasmī amicum, posteriores Gourmontio dedi, qui forte  
huc uenerat cum homine mihi amico. His literis quid fa-  
ctum sit mirari satis nequeo, si ne nunc quidem redditæ  
sunt. Tibi autem non rescripsi, quando uices tuæ iam esse  
scribendi uidebantur. Deinde nullum inueni qui se lite-  
ras ad te perferendas curaturum reciperet. Binas hoc qua-  
triduo à te accepi, cum in urbe essem ob negocium quod  
me totum poscebat. nunc occasio se obtulit ut hinc prope  
ranter scriberem: ac nunc ium tandiu ob id moratus sum,  
qui literas in urbem pertulit. Ad alteras tuas literas, rescri-  
bam cum licebit: parum est enim hic quoq; mihi ocij: &  
ad urbem subinde concursare res me cogit familiaris. Va-  
le & feliciter uiue, ut diu nobis Vitues sis: & (quod nunc  
facis) literas bonas illustres. Ex Marliano nostro postridie  
Calend. Januarias. M.D.XIX.

GVLIELMVS BVDAEVS SAL  
MONIO MACRINO S.



Edditæ sunt mihi literæ tuæ uiam ineunti  
ad urbem, in qua triduum moratus: quum  
huc propere reuertissem, scribere hasce an-  
te omnia coepi, ac primo quoq; tēpore. Ac-  
cipe igitur quod petiſti, quod à Fabio acce-  
ptum per manum tibi trado: is autem libro  
decimo ita inquit: Quis dubitet Platonem esse præcipuū  
siue acumine differendi, siue eloquendi facultate diuina  
quadam & Homerica multum enim supra prosam oratio-  
nem, & quam pedestrem Græci uocant, surgit: ut mihi nō  
hominis ingenio, sed quodam Delphico uideatur oraculo  
instinctus. His uerbis prosam & pedestrem orationē ean-  
dem esse intelligo: ita ut & coniunctio sit μέριον διαστάθη  
κόρ. siquidem Græci πεζὸν λόγον prosam orationē uocant,

f

quasi peditem sermonem, & πεζολόγια historicos. Nec uero id uocabulum à pedibus metricis inditum est, sed aliquid humile submissumq; denotat significatiōe præcipua, nisi fallor: quasi dicas humili gradiens, quodq; nec carminis sublimitate uehitur, nec figurata numerosaç; oratione ntitur: etiā si in uniuersum usurpari soleat pro omni oratione soluta lege carminis. Sed humilitas ista & submissio intelligenda mihi uidetur in pronunciatione, ac uocis temperamento, magis q; in structura aut elocutione: tum quidem certe, cum prosam orationem in uniuersum hoc uocabulo significamus. Argumentum huiusce opinionis illud Horatij in Arte Poética esse potest: Interdum tamen & uocem comoëdia tollit: Iratusq; Chremes tumido deligit ore: Et tragicus plerunq; dolet sermone pedestri. Simul illud Luciani, & τραγῳδη τά πάντα οὐχὶ περὶ καὶ μολέκα, καὶ τῦφον δίπλα. Ac si dicas, nihil autem ibi tragœdiæ simile, sed pedestria omnia populariaç; citra fastum prorsus & elationem. Hactenus ille. Nam carmen suis numeris quasi equis iunctis tollitur, celeriusq; incedit oratione prosa in uniuersum: utpote cum ipsa prosa intra sermonis pronunciationem cohibetur, etiam si sit grandiloquenterior, ac suapte ipsa grauitate sublimis: neq; enim in cantum effertur ut poëma. Sunt alioquin prosæ oratiōis duo genera, eodē Fabio auctore: cum libro undecimo ita scripsérunt. Etiam quæ bene composita erunt, memoriam serie sua ducēt. Nam sicut facilius ediscimus uersus q; prosam orationē, ita prosam iunctam q; dissolutam. Quibus uerbis intelligimus pedestrem orationem non esse proprię orationem numeris iunctam aptamq; oratorijs: & ita cōpositam ut fastigiū sermonis excedat: qualis est Platonis, cuius supra meminī. Verū q; me obsecras & obtestaris, parum amice facis: quando id quoq; me ambitiose rogas, iure postulare tuo potes. Id em tu uelim ne ignores, in al-

bo amicorum meorum cum te locum obtinere, possis ut  
operam mihi quantumuis iniungere, duntaxat quæ mu-  
neris mei & opificij uiriumq; esse uideatur. quāquam ni-  
hil in hoc esse uideo, quod tibi magnopere succensere de-  
beam, si tu obsecrabundus operam meam utendam ad se-  
mihoram rogasti: quū id pro tuo ipsum more, moribusq;  
adeo tuis animaduertam fecisse magis, quam quod meos  
id mores poscere arbitrarere. Qui si me ipse iudicasses eo-  
rum esse ordinis, qui grauate & magno operas suas addi-  
cunt, aut indicat hominibus sibi notis, nedum amicis, ne-  
que ihs quibuslibet, sed certi cuiusdam meriti & notæ pri-  
mariæ (cuiusmodi esse te existimo) esset abunde quod tecū  
expostularem. Nunc uero cum eo esse te ingenio agnoue-  
rim iādiu, ut deduci ab ista comitate ac benignitate appell-  
andi amici nequeas, haud ægre tibi gratiam ingenuæ ac  
liberalis huius culpæ faciam: quam ipse idētidem admitte-  
re in officijs multis, ac muneribus agendæ uitæ solitus: mi-  
rum est, quod in epistolis scribendis contrariam huic cul-  
pam non uito: tum quidem præcipue cum ad doctissimos  
uiros scribo, & literarum amantissimos. Est enim nescio  
quid numinis (propitij an infensi addubito) quod mihi fi-  
duciā pleniorem accōmodat, uel adimit innatā uerecundi-  
am, in eo genere cōmercij quod Musis iniç cōciliatricib<sup>9</sup>,  
interdū inter alienos ac lingua, institutisq; discrepitantes.  
Qua in re immodecū me esse uiri mihi amicissimi epistole  
testanf officiose obiurgatrices, fidēq; mihi facere iā cœpe-  
re: apud quē tñ ut apud alios quoq; in satisfactionē cessu-  
rā mihi puto ingenij simplicitatē, quū ihs ipa pernotuerit.  
Hanc naturæ tēperaturā Græci έυκθδω appellāt, Attici p̄ci-  
pue: quæ quoniā ipa interim stultitia esse credit, eodē uo-  
cabulo habitus uterq; animi significatur: quū tñ dictionis  
etymon cōmendationē rei significatæ præferat. Verū em  
quod scribis in transitu, quasiq; aliud agens, serio me hic

cuidam operi incumbere: amabo te mi Salmoni, cedo mihi nunc illum qui tibi hoc indicauit. nempe cōiectura est hæc istius animi, in me ita propensa, ut in hoc ipso ocio ad quod ego confugi, mihi met negocium me facessere certo certius habeas. At uide queso, ut ista coniectura tam certa æquus sis mihi satis amicus. Quid autem per Musas sanctissima tibi numina, qd inquam aliud mihi quam inertiam, desidiam, fôcordiam exprobras hactua existimatiōne tam explorata, si nihil tandem scripsisse comperiās. Evidem nihil grauius, nihil molestius, nihil magis obnoxium esse reor, quam eiusmodi expectatiōes sustinere hominum nimium de me merentium, opinione magnifica à me sibi semper aliquid spondētium, iamīaq; exiturū. Quo efficitur non modo ut alto perfrui ocio liberoq; nequeam, sed etiam ut ad occursus hominum palleā, aut ruborem identidē tanq; debitor ὑπῷμος, οὐκ ἐκπροθεσμός τὸν κεχεωσμένον. Itaq; ne diutius te frustrer, nihil iam moror istos efflagitatores, quibus ut obuiā ipsis factus sum, salute data statim & accepta, auribus uorare cogor illa toutes inculcata. Satin salue Budæe: ecquid tibi secus accedit q; tandiu nihil edis: quo usq; nos expectatione suspendis: & q; mox illud paris quod aiunt te parturire: Scilicet hoc illud est, nescio quid maius aut intractabilius tandiu in incude uersatur. Me miserum quum hæc audio, & angore æstuq; intestino perditum: qui si causificari insistam, scilicet renidentes aiunt me ludificari: & simul hortantur ut primo quoq; tempore fidem meam liberem præclaris illis Annotationibus in Pandectas: quibus etiā præla iam apparari dictitant: quorum tu unus aliquando fuisti, ut me minisse uideor. Quare ne diutius erres, de Annotationibus actum iam agunt, q; me eo de nomine appellant: quādo eiusce rei absoluendę eos expromissores dare possum, & ipsi accipere, qui ea dēre iam ita constituerunt operib; editis,

editis, ut cautum reip. fatis esse uideatur. præclarecꝝ mecum  
actum esse arbitrabor, si impune ferre liceat, quod hacten<sup>o</sup>  
mihi de enarratione excidit rerum ad ius ciuile pertinenti  
um. Quippe qui iam atroces contumelias intentari mihi  
non nescius sim à postica mundi parte, unde minime mihi  
esse metuendum putabam. Quod uero ad alia pertinet,  
utinam mihi diuina benignitate hæ suppeditentur facul-  
tates: unde quoquo pacto decidere queam uobiscum ista  
de me enatam expectationem, quasi nomen quoddam pu-  
blicum errore hominum contractum: à ceruicecꝝ mea ex-  
cutere tam grauem functionem inique mihi impositam.  
Sed etiam etiamcꝝ uereor, ut æquas mentes nostrorum  
hominum opinionescꝝ inueniam, queis cum decidere id  
debitum leui conditione possim, cui soluendo non sum  
omnino. Qui si dure mecum ipsi agere tandem, atcꝝ ex opi-  
nione temerarijs de causis præsumpta urgere institerint  
ad opus aliud aliudcꝝ faciendum, perij: nisi spes aliqua af-  
fulserit tanquam tabularum nouarum, ansam ut arripere  
inde possim frustrationum & comperendinationum in po-  
sterum ac tertium semper annum. Age: quid si solum uer-  
terim, & in Marlianum meum migrarim, tamen ne mole-  
sti esse pergerent, & in me lege agere: credo, ut est impro-  
bitas existimationis publicæ, qui etiam (me miserum, cui  
uni ferè ut Erasmo cessare non licebit) quum tertium iam  
mensem hic cum familia habitem, non animi isti causa, sed  
operis secessisse me autumant. Cui errori tu affinis (ut opi-  
nor) illud in literis tuis addidisti de opere serio tantisper  
intermittendo. Proinde ne dicas non prædictum, serium  
mihi hic opus est quiescere, & ociū amplecti quam possum  
arctissime: recreari ab huius anni fatigatione, & egregia il-  
la atcꝝ luculenta expeditione, quæ meas fortunas scilicet  
mirifice auctitauit: quam ut susciperem ipse, amicoru*m* iur-  
gia cognatorumcꝝ extulerunt. Deniqꝝ nugarum curarūcꝝ

obliuisci hic meditor: uerum non modo hoc opus, sed etiam  
hic labor est: usque adeo recusantes idem nugas, ac pug-  
niles curas consopire nequeo, nec abigere a contubernio  
Philologiae meae. Cupio, per (inquam) scire cupio quid la-  
nus Lascaris agat, uir apud omnes ordines gratiosus, ubi  
sit, quantu[m]que ualeat. Ut enim neminem esse hominem ar-  
bitror, cui melius consultum est mihi ille cupiat, ita officij  
mei esse duco omnia eius causa uelle: incolumitatemque i[ps]i  
corporis, fortunarumque optare est uehementissime. Eum  
uerbis meis salutabis, si istinc adhuc non discessit: gratiaque  
habere dices obscita admodum epigramata ad me missa.  
Scribam tamen ad eum non nihil si forte adhuc agit in au-  
ta, quod uix mihi persuadeo. Vale uir doctissime, in Marli-  
ano nostro postridie diei diuino Martino festi: qui nobis pi-  
thœgia est ad exploranda uina, auspicandamque uini mustei  
potionem, aut certe pro ludendam.

GVLIELMVS BVDAEVS BAPT  
STAE EGNATIO S.



Vum apud Franciscum Deloïnum iurisconsul-  
torum disertissimum heri ad prandium  
ex condicto uenisse, incidi tum primum  
in sermonem cum Ioanne Grolierio Insu-  
briæ quæstore, uiro sanè eleganti, institutio-  
ne perpolito, literarumque bonarum amanti  
ac studioso: quod rarissimum est apud nos in ea sorte ui-  
tæ: Is cum de doctis Italiæ uiris excitatus esset sermo, ait  
de me te ita loqui solitum, atque de eo quem tu amicū ha-  
bere cuperes: coramque aliquando alloqui, si res ita forte  
nata tulisset, ut uel ego istic negotiū, uel tu hic prouinciā  
haberes. Hoc cum mihi iucundū fuit & pergratum audi-  
tu[sum] em ut qui maxime, istius generis amicitiarū cupi-